

lectationi quæ ex consideratione causatur, aliquid potest esse contrarium.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod tristitia fortius afficiat quam delectatio. Quia, ut dicit Augustinus in Lib. LXXXIII. Quæst. quæst. xxxvi. *Nemo est qui non magis dolorem fugiat quam appetat voluptatem.* Ergo magis homo afficitur tristitia quam delectatione.

2. Præterea. Sicut tristitia vehementia sua movet ad fugam, ita delectatio movet ad desiderium. Sed non omnes delectationes appetunt, immo quidam, ut temperati, eas vitant; tristitias autem quilibet fugit, ut dicit Philosophus in Ethic. Lib. VII. cap. XIII. vel XIV. Ergo delectatio minus afficit quam tristitia.

3. Præterea. Secundum Philosophum in X. Ethic. cap. v. vel VII. omnis tristitia hominem in operando impedit; non autem omnis delectatio adjuvat, sed solum propria. Ergo tristitia vehementius afficit quam delectatio.

Sed contra. Bonum est efficacius in agendo quam malum; quia malum non agit nisi in virtute boni, ut dicit Dionysius IV. cap. de div. Nom. Sed bonum est causa delectationis, malum vero tristitiæ. Ergo delectatio magis afficit quam tristitia.

Præterea. Ut dicitur in VII. Ethic. cap. XIV. delectatio expellit tristitiam non solum sibi contrariam, sed & quamlibet aliam. Ergo delectatio est fortior tristitia.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod cujuslibet passionis ratio formalis ex objecto sumitur: unde & passiones, & actus penes objecta distinguuntur. Objectum autem delectationis bonum est, tristitiæ vero malum; unde oportet tristitiam delectationi formaliter contrariari.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis motus per se operationi non contrarietur, est tamen in motu aliquid invenire ex quo tristitiam causat, quod contrariatur operationi, secundum quod est delectationis causa. Operatio enim delectationis causa existit, secundum quod est conveniens operanti. In motu autem, in quo est processus de uno ad aliud, oportet aliquid esse non conveniens ei quod movetur, cum ea inter quæ est motus, sint contraria; & ideo motus ratione contrarietatis quam habet ad mobile, lassitudinem, & tristitiam inducit; & propter hoc præcipue motus innaturales, & violenti lassitudinem causant. Sic ergo motus ratione contrarietatis causat tristitiam, operatio vero delectationem ratione convenientiæ: unde oportet quod delectatio, & tristitia opponantur secundum oppositionem convenientiæ, & contrarietatis.

Ad secundum dicendum, quod tristitia non est materia delectationis, nec delectatio tristitiæ, per se loquendo, sed per accidens tantum, in quantum accidit delectationi esse malum, quod est propria tristitiæ materia, & tristitiæ esse bonum, quod est propria materia delectationis: & hoc quidem accidere potest in istis contrariis, ut unum per accidens sit alterius materia propter communitatem suorum objectorum quæ sunt bonum, & malum; quorum unum potest alteri adungi ratione diversorum. Quod enim est secundum unam rationem bonum, potest esse secundum alteram rationem malum. Accidit etiam quod huiusmodi contraria consistunt in actu animæ, quæ reflectitur super actum suum, in quantum scit se scire, & vult se velle: unde & tristitia po-

test esse materia gaudii, & etiam ipsum gaudium: quod in rebus naturalibus accidere non potest, ut aliquid sit materia sui ipsius, vel etiam contrarii.

Ad tertium dicendum, quod si fiat vis in verbis, sicut delectatio distinguitur à gaudio, ita dolor à tristitia, ut sic per oppositum tristitia respondeat gaudio, dolor vero delectationi; sed quia dolor proprie accipitur in sensu, & præcipue in sensu tactus, delectatio etiam proprie loquendo se extendit ad interiores vires; ideo delectationi non solum dicimus opponi dolorem, sed etiam tristitiam.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod apprehensio potest dici delectationis causa dupliciter. Uno modo ex parte ipsius apprehensi, sicut cum apprehendimus aliquid bonum nobis conveniens, & inde delectamur; & per hunc modum apprehensio est omnis delectationis causa: unde nihil prohibet delectationi quæ sic ex apprehensione causatur sive sensibili, sive intelligibili, aliquid contrarium esse: alias nulli delectationi esset tristitia contraria. Alio modo ex parte ipsius apprehensionis, ut cum quis delectatur non quidem de apprehenso, sed de ipsa apprehensione qua apprehendit; & sic, per se loquendo, delectationi quæ ex quacumque apprehensione causatur, non potest esse tristitia contraria. Oportet enim huiusmodi tristitiam etiam ex aliqua apprehensione causatam esse: contraria enim circa idem sunt. Apprehensio autem, per se loquendo, nullo modo potest tristitiam facere: quia illud solum tristitiam facere potest quod est contrarium; nulla autem apprehensio in quantum huiusmodi est contraria, vel repugnans apprehendenti, immo est perfectio ipsius: quia species quibus fit apprehensio, sunt perfectiones apprehendentis: unde nulla apprehensio nec sensibilis, nec intelligibilis, per se loquendo, tristitiam causat, sed delectationem tantum, quandoque plus, quandoque minus, secundum quod apprehensio est perfectior, & delectanti convenientior. Unde Philosophus dicit in X. Ethic. cap. IV. vel VI. quod perfectissima, ac per hoc delectabilissima visio est visus optime dispositi ad pulcherrimum sub visum cadentium. Per accidens autem contingit ex apprehensione causari tristitiam dupliciter. Uno modo ex parte apprehendentis, qui scilicet apprehendit per organum aliquid corporale, cui potest accidere lassitudo, & corruptio propter organi permutationem; & sic apprehensio sensitivæ partis per accidens est contristativa; apprehensio vero intellectiva non nisi per accidens valde remotum, in quantum scilicet considerationi intellectus adiungitur operatio sensitivarum virium, ex quibus accidit in consideratione intellectus nostri lassitudo; quod non esset, si sine phantasmatibus intelligere possemus. Alio modo ex parte ipsius effectus apprehensionis, in quantum ex hoc quod apprehensioni vacavimus, aliquid damnum incurrimus, ut puta si ex hoc impedimur ab aliquo utiliori, vel pertrahimur in peccatum occasionaliter. Sed tunc proprie loquendo, non causatur tristitia ex apprehensione, sed ex consideratione effectus apprehensionis. Et ideo, proprie loquendo, delectationi quæ est ex hoc quod est considerare secundum intellectum, non est aliqua tristitia contraria.

Ad primum ergo, & secundum patet responsio ex dictis.

Ad tertium dicendum, quod operatio contraria habitui scientiæ quandoque procedit ab aliquo scienter;

&

& tunc talis operatio est habitui conveniens, quia per habitum scientiæ non solum cognoscimus id quod est rectum, sed etiam id quod est erroneum: unde etiam scire aliquid esse erroneum, est de perfectione scientiæ. Si autem consideratio scientiæ contraria procederet ab aliquo nescienter, ut puta cum quis habet falsam considerationem, quam æstimat veram, adhuc talis consideratio erit delectabilis, quia apprehenditur ut conveniens, quamvis non sit conveniens; sicut & justo esset operatio injusta delectabilis, si eam æstimaret esse justam.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod tam delectatio, quam tristitia consequuntur causam aliquam apprehensam: unde & possunt dupliciter considerari. Uno modo ex parte causæ delectantis, vel contristantis; alio modo ex parte apprehensionis quam delectatio, & tristitia sequitur. Causa autem delectationis est bonum conveniens conjunctum, tristitiæ vero repugnans malum conjunctum. Potest autem inveniri aliquid bonum quod totaliter conveniens est, nec ex aliqua parte dissonantiam habet; non autem potest inveniri aliquid malum quod ita sit dissonum quod quantum ad nihil conveniens sit: quia non est aliquid pure malum, quod secundum aliquid non sit bonum; & ideo causa delectationis perfectius se habet ad delectandum quam causa tristitiæ ad contristandum, generaliter loquendo; sed in speciali non potest una regula dari propter diversos ordines causarum in malitia, & bonitate: unde quædam causa delectans excedit contristantem aliquam, & è converso. Sed ex parte apprehensionis tristitia secundum genus, generaliter loquendo, delectationem excedit, eo quod res similes minus sentiuntur quam res contrariæ: unde cum convenientia delectationem causet, repugnantia vero tristitiam, quantum ad apprehensionem tristitia delectationi prævalet, quamvis in speciali aliqua delectatio alicui tristitiæ præemineat quantum ad apprehensionem. Dicendum ergo est, quod si proprie loquamur, delectatio vehementius afficit quam tristitia; sed tristitia magis sentitur quam delectatio, (1) sicut etiam & amor rei præsentis, ut Augustinus dicit X. de Trinit. prope finem.

Ad primum ergo dicendum, quod magis fugitur tristitia quam appetatur delectatio, quia magis sentitur.

Ad secundum dicendum, quod omnis tristitia per se loquendo, est mala, ut infra dicitur, art. sequenti quæst. II. quamvis per accidens possit esse bona; sed non omnis delectatio est bona per se loquendo; ideo tam boni quam mali fugiunt tristitiam quamlibet, sed non omnes delectationes quaslibet appetunt.

Ad tertium dicendum, quod pluribus modis potest impediri aliqua operatio quam perfici: quia non perficitur nisi omnibus causis concurrentibus; impeditur autem operatio, si quodcumque eorum quæ sunt ad operationem necessaria, impediatur: & ideo omnis tristitia operationem aliquam impedit, in quantum est contraria operanti; non autem omnis delectatio coadjuvat ad operandum, immo extranea impedit, in quantum averit intentionem ad aliud quam attentionem, quæ necessaria est ad perfecte agendum; sed propria delectatio & operantem expedit, eum

(1) Nicolai: sicut etiam & amor rei præsentis magis percipitur quam rei absentis, ut Augustinus &c.

(2) Al, deest ea.

quodammodo corroborando, in quantum est conveniens, & attentionem ejus facit inherere ad operationem delectabilem.

ARTICULUS IV.

Utrum qualibet delectatio sit bona.

I. 2. quæst. XXXIV. art. 2.

1. AD quartum sic proceditur. Videtur quod qualibet delectatio sit bona. Omne enim quod conjunctum aliis facit (2) ea eligibilia, est per se bonum. Sed delectatio conjuncta quibuscumque bonis facit ea eligibilia. Ergo delectatio est per se bonum; & sic qualibet delectatio bona erit.

2. Præterea. Nihil appetitur nisi bonum. Sed unumquodque est appetibile ex hoc quod est delectabile. Ergo delectatio per se loquendo est bona; & sic idem quod prius.

3. Præterea. Omne esse, in quantum huiusmodi, est bonum. Ergo & illud quod est ultima entis perfectio, universaliter est bonum. Sed delectatio est ultima entis perfectio; perficit enim operationem, quæ est actus secundus, ut per Philosophum patet X. Ethic. cap. IV. vel VI. Ergo omnis delectatio est bona.

1. Sed contra. Illud quod fugit virtuosus, est malum. Sed delectationem fugit temperatus. Ergo delectatio est mala.

2. Præterea. Illud quod iudicium rationis impedit, est malum. Sed delectatio corrumpit astimationem prudentiæ, ut dicitur in VI. Ethic. cap. IV. vel V. Ergo delectatio est mala.

3. Præterea. Illud cuius desiderium facit aliquid malum, est per se malum. Sed desiderium delectationis facit aliquos malos, sicut imperatos, qui delectationem prosequuntur ut finem, & blandos, qui ad delectationem solummodo dulcia loquuntur. Ergo delectatio est mala.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod non omnis tristitia sit mala. Nullum enim salutarium est malum. Sed aliqua tristitia est salutaris: quæ enim secundum Deum est tristitia, poenitentiam in salutem stabilem operatur; II. Corinth. VII. 10. Ergo aliqua tristitia est bona.

2. Præterea. Nullum laudabile est malum. Sed aliqua tristitiæ sunt laudabiles, sicut misericordia, quæ est tristitia de alieno malo, & poenitentia, quæ est tristitia de peccatis præteritis. Ergo non omnis tristitia est mala.

3. Præterea. Sicut delectatio se habet ad bonum, ita tristitia ad malum. Sed non omnis delectatio est bona, Ergo nec omnis tristitia est malum.

Sed contra. Omne illud quod impedit operationem rectam, est malum. Sed omnis tristitia operationem impedit; ut patet in X. Ethic. cap. V. Ergo omnis tristitia est mala.

Præterea. Quod adjunctum alicui facit ipsum minus bonum, est per se malum. Sed tristitia cuiuscumque bono adjuncta facit ipsum minus eligibile; unde II. Corinth. IX. 7. dicitur: *Non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus;* & eadem ratio est, cuiuscumque virtutis actui tristitia adiungitur. Ergo tristitia est secundum se malum.

QUÆSTIO

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod aliqua delectatio sit optimum. Illud enim quod est ultimus finis, est optimum. Sed delectatio est ultimus finis: ut enim dicitur VII. Ethicor. cap. xii. vel. xiv. est finis (2) architecton. Architectonicarum autem fines sunt nobiliores, & desiderabiliores, ut dicitur in I. Ethicor. cap. i. Ergo delectatio est optimum.

2. Præterea. Dicitur in II. Cœli, & mundi, text. com. xvii. Omnis res est propter suam operationem. Sed operatio est propter delectationem, cum delectatio sit operationis perfectio, ut dicitur in X. Ethic. cap. iv. Ergo delectatio est ultimus finis.

3. Præterea. Illud quod desideratur tantum propter se, & nunquam propter aliud, est ultimus finis. Sed delectatio est hujusmodi: stultum enim est querere quare aliquis velit delectari. Ergo delectatio est ultimus finis.

4. Præterea. Illud quod omnes appetunt, & cum cujus contrario nihil est eligibile, videtur esse optimum, & ultimus finis. Sed omnes delectationem appetunt, & pueri, & bestie, & homines sapientes, & insipientes: nec aliquod bonum esset eligibile, si esset triste: nec etiam esset possibile in aliquo bono continue perseverare, si esset triste. Ergo delectatio est optimum.

1. Sed contra. Ultimus finis hominis, & optimum ejus est beatitudo ipsius. Sed beatitudo non est delectatio, sed magis operatio, ut ex supra dictis patet. Ergo delectatio non est optimum.

2. Præterea. Secundum Platonem delectatio est generatio sensibilis in natura. Sed nulla generatio est optimum: quia generatio est motus ad perfectionem. Ergo nulla delectatio potest esse optimum.

3. Præterea. Omne quod eligitur, eligitur in ordine ad optimum. Sed, sicut dicit Philosophus in X. Ethic. cap. ii. vel. iv. circa multa studium faceremus, etiam si nullam delectationem inferrent, pura videre, recordari, scire, & virtutes habere. Ergo delectatio non est optimum.

4. Præterea. Omne illud quod a natura ordinatur ad aliquid, non est ultimus finis. Sed natura ordinat delectationem ad operationem: unde operationibus nutritivæ, & generativæ ordinatis ad conservationem individui, & speciei, natura delectationem apposuit; ut ad hæc opera animalia magis inclinarentur. Ergo delectatio non est optimum, vel ultimus finis.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod delectatio dupliciter potest considerari. Uno modo in quantum est delectatio; alio modo in quantum est hæc delectatio. Delectatio ergo, in quantum est delectatio, aliquid bonum nominat; sed in quantum est talis delectatio, potest rationem mali habere ex parte ejus ex quo specificatur; sicut etiam omnis actio quantum ad hoc quod habet de natura actionis est bona, sed quantum ad hoc quod adjungitur de defectu, aliqua actio est mala. Similiter etiam in quantum alicui delectationi adjungitur de defectu, secundum hoc adjungitur ei de malo. Hoc autem modo adjungitur defectus delectationi quo & operationi, cum delectatio ex operatione causetur; &

(2) Al. & architecton. (3) Al. deficiet.

sic ex deficienti operatione (3) deficiens delectatio: & ideo, ut dicitur in X. Ethicor. cap. v. vel. viii. sicut operationes differunt ab invicem bonitate, & malitia, ita & delectationes: ut secundum hoc delectatio dicatur bona quod ex bona operatione procedat, mala vero quæ est de mala operatione.

Ad primum ergo dicendum, quod delectatio quæ facit bona eligibilia, est delectatio ejus propria, utpote cum justus delectatur de justa operatione; sed si delectationes intemperati adjungerentur operationibus justis, non facerent eas delectabiliores: unde non sequitur omnes delectationes esse bonas.

Ad secundum dicendum, quod non solum appetitur bonum, sed etiam apparet bonum. Quia autem omnis delectatio ex hoc quod est delectatio, bona est, quantumcumque ex aliquo adjuncto efficiatur mala, habet unde apparere possit bona, & per consequens unde possit appeti; & sic appetibilis est non habenti rectum iudicium; sed habenti rectum iudicium delectationes quædam appetibiles non sunt; sicut prudens, & temperatus non appetit delectationes intemperati.

Ad tertium dicendum, quod illa ratio non probat delectationem esse bonam, nisi in quantum est delectatio.

Sed quia ex rationibus quæ sunt in contrarium, quidam ostendere volebant omnem delectationem esse malam, ideo ad eas est etiam respondendum.

Ad primum ergo dicendum est, quod virtuosus non fugit quamlibet delectationem, immo propriam delectationem amplectitur, quod est delectari in operibus virtutum; fugit autem delectationes inordinatas: & has concedimus malas esse.

Ad secundum dicendum, quod non quamlibet delectatio impedit iudicium rationis, sed delectatio immoderata, & extranea; sicut delectatio corporalis iudicium rationis perturbat, si sit vehemens; sed spiritualis delectatio iudicium rationis confortat, quia unusquisque attentius operatur in his in quibus delectatur, ut dicitur in X. Ethic. cap. v. vel. vi. & sic etiam non sequitur omnem delectationem esse malam.

Ad tertium dicendum, quod illæ delectationes quæ faciunt hominem malum, non sunt dicendæ simpliciter, & vere delectationes: quia non sunt convenientes homini, in quantum est homo, sed in quantum bonum hominis est in eo quodammodo corruptum: sicut etiam non est dicendum dulce simpliciter quod videretur habenti corruptum gustum: & dato etiam quod sint delectationes veræ, differunt tamen specie ab illis delectationibus quæ bonæ sunt.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod aliquid dicitur bonum dupliciter. Uno modo ut per se eligibile: alio modo ut ordinatum ad illud; sicut portiones austere non sunt per se bonæ, vel appetibiles, sed solum in quantum sunt utiles ad sanitatem. Tristitia ergo nulla, per se loquendo, est bona, ut per se appetibilis: unde etiam Augustinus in Lib. de confess. X. cap. xxviii. tolerari eas jubet, non amari, scilicet tribulationes, & tristitias: cujus ratio est, quia omnis tristitia procedit ex aliquo inconvenienti; habere autem aliquod inconveniens non potest esse per se appetibile; sed tamen aliqua tristitia sunt bonæ, vel appetibiles, in quantum sunt uti-

les ad aliquid, vel ad expellendum pravas delectationes, vel ad aliquid hujusmodi.

Et per hoc patet responsio ad primum: quia illa tristitia secundum Deum esse dicitur, & salutifera quæ ordinatur ad salutem: unde non sequitur quod sit bona, nisi ut medicina quædam.

Ad secundum dicendum, quod tristitia non potest esse laudabilis nisi ex suppositione alicujus mali existentis; supposita enim miseria, laudabilis est misericordia; & similiter peccato præexistente eligibilis est penitentia. Tamen ubi est bonorum perfectio, nec est locus misericordie, nec penitentie. Unde non sequitur quod tristitia sit bona simpliciter, sed secundum quid tantum.

Ad tertium dicendum: quod quamvis omnis tristitia secundum se sit fugienda, non tamen sequitur quod omnis delectatio sit secundum se appetenda, & bona. Ad hoc enim quod aliquid sit bonum, oportet multa concurrere, quorum quodlibet deficiens rationem mali inducit; & ita omnè illud quod habet aliquid de malo, est fugiendum; nec tamen omnè illud quod habet aliquid de bono, est simpliciter appetendum: & sic omnis tristitia, in quantum aliquid habet de defectu, est fugienda; non autem omnis delectatio est appetenda, quamvis habeat aliquid de bono.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod de delectatione fuit triplex opinio.

Una fuit Epicuræorum, qui ponebant delectationem, in quantum hujusmodi, esse optimum, volentes per hoc etiam omnem delectationem esse bonam. Alia fuit opinio Stoicorum, & Platoniorum, qui ponebant omnem delectationem esse malam. Tertia fuit opinio Aristotelis, & Peripateticorum, qui posuerunt quasdam delectationes esse bonas, & quasdam malas; & quod nihil prohibet aliquam delectationem esse optimum in genere humanorum bonorum: delectatio enim operationem consequitur: unde cum aliqua operatio sit optimum in genere humanorum bonorum, quod est felicitas, & delectatio ipsam consequens optimum erit. Nec illa duo sunt consideranda quasi duo bona, sed quasi unum bonum. Sicut enim ex perfectione, & perfectibili fit una res perfecta; ita ex delectatione, & operatione, fit una operatio perfecta, quæ est felicitas, cum delectatio sit operationis perfectio, ut dicitur in X. Ethic. cap. iv. vel. vi. Quid autem horum sit propter alterum eligendum, utrum scilicet delectatio propter operationem, vel è converso, Philosophus ibi insoluitur relinquit. Sed tamen secundum rei veritatem videtur dicendum, quod delectatio ad operationem ordinetur sicut ad finem, sicut omnes perfectiones secundæ non propter aliud sunt nisi propter sua perfectibilia perficienda. Delectatio autem est quædam perfectio operationi superveniens: ut decor juventuti: unde delectatio ad operationem ordinatur. Sic ergo, proprie loquendo, delectatio aliqua non est optimum, sed est aliquid optimi, scilicet felicitatis.

Felicitas enim delectationem includit, ut patet per Philosophum in X. Ethic. cap. vii. vel. viii. Sic ergo ad utrasque rationes respondendum est. Ad primum ergo dicendum, quod delectatio dicitur esse finis architecton, non quia sit architectonica, scilicet civilis, finis ultimus, nisi forte in quantum est aliquid ultimi finis, ut dictum est. Dicitur autem esse finis architecton, ut regula quædam, ad quam architecton, scilicet civilis, omnia

judicat: unde ibi subjungitur: *Ad quam respicientes hoc quidem bonum, hoc quidem malum dicimus: ex hoc enim aliquis bonus cognoscitur quod delectatur in bonis; malus autem ex hoc quod delectatur in malis.*

Ad secundum dicendum, quod delectatio non est perfectio operationis, à qua operatio speciem habeat, sed magis quæ superadditur ei per modum perfectionis secundæ, sicut sanitas ad hominem se habet, & non sicut anima. Hoc autem interest inter perfectiones primas & secundas, quod ad primam perfectionem ordinatur perfectibile sicut ad finem, ut materia ad formam; sed è converso secunda perfectio ordinatur ad perfectibile, ut scilicet perfectibile per eam esse perfectum habeat; & sic delectatio ad operationem ordinatur.

Ad tertium dicendum, quod de illis ordinatis ad finem consuevimus querere propter quem fiant quæ fini non sunt conjuncta; de his vero quæ fini conjunguntur, talis quæstio non fit, quia statim apparet ea esse appetibilia. Et quia delectatio non est conjuncta operationi perfectæ, quæ est finis, ideo non consuevit queri propter quid aliquis velit delectari. Et præterea delectatio dicit quietationem appetitus in aliquo: unde querere, quare aliquis velit delectari, est idem quod querere, quare velit appetitum suum quietari; quod idem est ac si quereretur, quare aliquis velit finem voluntatis consequi. Licet autem operatio aliqua sit finis, tamen operatio de suo nomine non importat rationem finis, vel quietationem in fine: & inde est quod magis querimus propter quid vis operati, quam propter quid vis delectari.

Ad quartum dicendum, quod cuiuslibet rei finis est sua perfectissima operatio: ideo omnes delectationem appetunt, qua operatio perficitur, sicut & propriam operationem perfectam: & sicut accidit error in appetitu operationis, quia quidam insistant operationibus extraneis, dimissis propriis operationibus, ut omnes mali sequentes operationes bestiales, prætermittis humanis; ita etiam quidam loco propriarum delectationum extraneas sequuntur.

Ad primum vero eorum quæ obijciuntur in oppositum, dicendum, quod non quamlibet operatio est felicitas, sed operatio perfecta, quam oportet delectabilem esse; & sic delectatio est aliquid optimi.

Ad secundum dicendum, quod definitio illa Platonis non est conveniens, ut patet per Philosophum in VII. & X. Ethic. Non enim delectatio in generatione consistit, sed magis in esse generatum: tunc enim res potest habere propriam operationem, quæ est delectationis causa, quando jam perfecta est, non autem quando est imperfecta, & in fieri.

Aliæ duæ rationes concludunt quod operatio sit melior delectatione; & hoc quidem verum est. Sed utroque est melius operatio perfecta, cujus aliquid est delectatio.

ARTICULUS V.

Utrum delectationes corporales sint potiores spiritualibus.

1. 2. quæst. xxxii. art. 1. & 5.

1. AD quintum sic proceditur. Videtur quod delectationes corporales sint potiores spiritualibus. Delectabile enim, in quantum est delectabile, est appetibile. Ergo in quod magis inclinatur appetitus, est magis delectabile. Sed pluries, & frequen-